



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 51. Northumbriæ Dux unacum liberis suis, aliisque custodiæ datum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

Sæcul. XVI
A.C. 1553.

quisque ordine procedunt, ut Mariam in præcipua Londinensi platea prope Urbis Prætorium Reginam proclamarent: Inde ad Ecclesiam D. Pauli contententes Hymnum *Te Deum* decantari jubent: mox vero templo egressi Suffolciæ Ducem, ut turrim eorum potestati traderet, compellunt, Joannæ vero nuntiant, ut deposito Reginæ titulo prætensis suis juribus cederet. Postea audito Mariæ nomine univèrsa Londinensis Urbs jubilantium clamoribus resonabat, & populus percepta illius promulgatione in tantos exultantium sonos, festivosque applausus erumpibat, ut Pembruchius Comes demandatum sibi munus ægre perficere posset: insuper continuo pulsatæ ubique campanæ, ignesque passim per urbem accensi. Joanna se e folio cum majori gaudio dejectam cernebat, quam illud ascendendo conceperat.

§. LI.

Northumbriæ Dux unacum liberis suis, aliisque custodiæ datus.

Burnet

p. 359.

Sleidan.

p. 927.

Pallav. l. 13.

c. 6. n. 5.

Belcar. l. c.

Altera die Arondelius Comes, & Nobilis Pagetus ad Mariam Reginam, quæ adhucdum Framingæ morabatur, proficiscuntur, eique, quid actum esset, exponunt. Sub idem quoque tempus Senatores datis ad Northumbrium literis præcipiunt, ut decreto subscribat, atque

atque copias dimittat. Præsenferat rem Sæc. XVI.
 Northumbrius Dux, unde acceptis non- A.C. 1553.
 dum Senatus literis jamjam exercitum
 suum dissolverat, ipseque statim ad am-
 plum urbis Cantabrigiensis forum pro-
 cedens Mariam Reginam salutare jussit,
 ac cum ceteris exclamavit: *Vivat Ma-
 ria Regina*: Ubi vero sese ab omnibus
 desertum cernebat, paululum animo tur-
 batus videbatur, ac de fuga extra Re-
 gnum meditari cœperat: verum milites
 Prætoriani, qui eum ductore Joanne
 Gatto sequebantur, ipsum adeunt, oc-
 reasque induentem comprehendunt, id
 se ea ex causa facere obtendentes, ut
 se illius testimonio a perduellionis cri-
 mine tuerentur. Equidem Dux cœpit
 illis resistere, ac caussari, quod supre-
 mus Anglici Equitatus Dux esset, ac
 proin ob hanc dignitatem manus ei in-
 jiciendi nullum ipsis jus foret: nihilomi-
 nus satellites ipsum etiam reluctantem
 sequi cogunt: mox vero Arondelius Ma-
 riæ jussu illum unacum ejus Filio Hung-
 tintoniæ Comite, necnon Joanne Gat-
 to, & Henrico ejus fratre, Thoma Pal-
 merio, aliisque duobus Ducis Filiis cu-
 stodiæ dabat.

Cum ergo Northumbrius se Comitis
 Arondelii potestati traditum cerneret,
 mox ad illius pedes provolutus ipse
 patrociniū implorabat: ast unacum

Q q 3

tribus

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

tribus filiis suis ad Turrim abducitur, ubi per plateas transeuntem populus probris, & convitiis insectatur, eumque paricidam, & innocentissimi Regis carnificem appellitat. Referunt nonnulli, quod quædam mulier Northumbrio, cum per urbem ad carcerem deducendus transfret, sudarium Sommerseti Ducis sanguine tinctum exhibuerit, eique exprobraverit, quod ipse hujus cruoris injuste effusi Auctor exstiterit. Postera die Suffolciæ Dux, Joanna Graja ejus Filia, Ridlæus Londinensis Episcopus, & Joannes Checus, qui defunctum Regem literis imbuebat, capiuntur, præter ceteros omnes, qui Northumbriæ Duci arctiori amicitiae vinculo obstricti erant. Hi una omnes die vigesima septima, & octava Julii carceri mancipantur, tertio autem post die Suffolciæ Dux libertati reddebatur, præstita tamen cautione, quod ad primum Mariæ Reginae mandatum carcerem repetere velit.

§. LII.

*Maria Regina Londinum solemniter
pompa ingressa.*

Thuan. l. c.
Burnet
p. 360.

Sleid. p. 928.

Cum Elisabetha, quæ extra urbem diversabatur, Mariam sororem suam in Reginam fuisse salutatam intelligeret, remque suam agi cerneret, die vigesima nona